



Per.  
Lat  
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. — Telephonum: 132—98.

### Otho Herman

unus omnium Hungarorum doctissimus annum agens septuagesimum nonum vitā excessit, quae omnibus exemplum ad imitandum esse potest. Amor patriae, morum probitas, litterarum studium paucis huius aetatis hominibus perinde colebatur, ac illi.

Humili loco ortus magistris carens, propriis studiis doctrinam de rerum<sup>1</sup> natura<sup>1</sup> adeo addiscebat, ut ipse magister historiae naturalis doctissimus evaserit, qui quidem non verbis, sed litteris docebat. Scripsit enim tria volumina de araneis<sup>2</sup> Hungariae, duobus voluminibus comprehendit historiam rei per Hungariam piscatoriae;




sequebantur opera de avibus septentrionis, de occupationibus Hungarorum in primordiis<sup>3</sup> rerum.<sup>3</sup> Magnum publicavit opus, pulcherrimis imaginibus additis de Hungariae avibus. Longa est series illorum, quae de avium migratione scripsit.

Non solum litteris dabat operam tantus hic vir, sed etiam rem<sup>4</sup> publicam<sup>4</sup> capessivit.<sup>4</sup> In regni enim publico consilio semper intrepidus defensor erat salutis publicae et cum periculo potentiorum offensorem. Nunquam enim easpectabat, quae sibi expedirent,<sup>5</sup> verum semper populum, semper cives.

In egestate igitur, qua vixerat, etiam obiit. Sed

<sup>1</sup> természettudomány  
<sup>2</sup> pók <sup>3</sup> őskor <sup>4</sup> politikával foglalkozott <sup>5</sup> hasznára van.

vitae claritas, sed virtutis exemplar, quod in Othone Hermano semper admirabamur, posteritati narratum et traditum superstes erit.



## LECTORIBUS MINIMIS.

### Camelus et asinus



dies noctesque onera gravia portare coguntur, adeo, ut fugam capessere decreverint. Tempus idoneum nacti<sup>1</sup> aufugerunt in silvam densam, ubi omnium rerum affluentia<sup>2</sup> copia

abundantes in tuto vivebant, quia nemo eos reperire potuit. Optime tempus agebant, ut nunquam melius cupiverint.

Epulabantur<sup>3</sup> et dormiebant. Praesertim asellus tam pinguis<sup>4</sup> esse coepit, quam utriculus<sup>5</sup> inflatus. Semel in hilaritate — etsi camelus eum monuit, rudium<sup>6</sup> maximum,

et a hominibus iam diu auditum, sustulit,<sup>9</sup> ut tota regio vicina resonaret. Homines, qui hoc audiebant, accurrerunt et fugitivos capere voluerunt. Qui terrore percussi in fugam se dabant. Cucurrerunt, quantum poterant, sed asinus obesus<sup>7</sup> cito defatigatus est. Hanc ob causam dixit: «Ego iam currere non possum, quaero te, ut in humeros me tollas». Camelus validus benevolusque precibus obtemperavit et sic pervenerunt in montem altum, qui supra saxa praerupta<sup>8</sup> eminebat.

Hic iam eos non sequebantur instantes<sup>9</sup> homines. Camelus gaudio saltare coepit, quamquam asinus eum monuit, ne hoc faceret, quia ex humero socii decidens facile in altitudinem deiceretur.

Camelus non fuit dicto audiens, exsultavit<sup>10</sup> saltavitque, falsus<sup>11</sup> est vestigio<sup>11</sup> et una cum asino in altitudinem delapsus est: exanimes extenduntur<sup>12</sup> humi, praeda vulturum.<sup>13</sup> Libertas pulcherrima est, sed libertate prudenter utendum.



Convertit G. Bermann.

<sup>1</sup> kap <sup>2</sup> gazdag <sup>3</sup> lakmározik <sup>4</sup> kövér <sup>5</sup> tömlő  
<sup>6</sup> ordítást hallat <sup>7</sup> elhízott <sup>8</sup> meredek <sup>9</sup> üldöz <sup>10</sup> ujjong  
<sup>11</sup> kicsúszik <sup>12</sup> kinyúlík <sup>13</sup> keselyű



### Lapicida.<sup>1</sup>

Fuit olim lapicida quidam pauper, qui sorte sua minime contentus erat. In<sup>2</sup> dies<sup>2</sup> magis eum et operae et laboris taedebat, querensque egestatem suam «quid est, — inquit — quod vivam? Utinam dives essem! Nunquam tantopere fatigari cogerer; insidens pulvillis<sup>3</sup> molli-ter fartis<sup>4</sup> otio dulci fruerer, veste ornatus serica!»<sup>5</sup>

Talia autem illo secum volvente angelus caelo devenit dicens: «Quae cupis, habeas! Nec argentum nec quaecumque in votis<sup>6</sup> habueris, tibi deerunt!»

Non multo post contigit, ut illum per urbem rex curru veheretur splendidissimo. Vidit eum homo pecuniosus, sceptrum manu tenentem eburneum<sup>7</sup> aureumque capite gerentem diadema,<sup>8</sup> triumphantem multitudine acclamante. Et stomachatus<sup>9</sup> exclamavit: «O fortunam regis unicam et exoptabilem! Nihil est, quod malim!»


Et angelus iterum caelo devenit dicens: «Etiam regius honor et apparatus cultusque necnon sceptrum et diadema tibi dabitur! Veharis per vias, omnium mortalium honoratissimus!»

Sed alia fors felicitatem ei ereptura erat. Cum enim soles<sup>10</sup> assidui ardoribus<sup>11</sup> herbas frugesque comburent, vehementer rex indignari caepit, quod sole infirmior esset

<sup>1</sup> kőfaragó <sup>2</sup> napról-napra <sup>3</sup> párna <sup>4</sup> töm  
<sup>5</sup> selyem <sup>6</sup> kívánság <sup>7</sup> elefántcsont- <sup>8</sup> korona <sup>9</sup> mér-  
gesen <sup>10</sup> napsütés <sup>11</sup> hőség

# GEOGRAPHICA

Bellum nefarium, quod inviti<sup>1</sup> gerere cogimur, miscet quadrata rotundis, ut apud



poetam scriptum legitur. Homines, quibus antea familiarissime utebamur, nunc hostes pessimi habendi sunt. Crudelitates immanissimae, quae antea vitatae erant, nunc apud hostes nostros vulgo instrumenta belli gerendi habentur. Antea proeliantes in bello id agebant, ut hostes ad<sup>2</sup>


arma<sup>2</sup> inutiles<sup>2</sup> redderent; nunc Galli, sed imprimis Britanni, bellum quam atrocissime gerendum putant.

Praeter machinas mortiferas quaecunque atrocia excogitant, et Germanos captos quae-sitissimis cruciatibus afficiunt, a quibus rependendis<sup>3</sup> animus Germanorum prorsus abhorret.

In pictura ostenduntur novissimi socii

et amici Gallorum et Britannorum, quos contra Germanos arcessebant. Utrique vulnerati feri Bruxellis asservantur. Publica<sup>4</sup> auctoritate<sup>4</sup> nuntiabatur alterum, a Guinea oriundum, a iudicibus<sup>5</sup> castrensibus<sup>5</sup> lege interrogatum confessum esse domi, in pago suo inveniri, qui carne humana vescerentur; se ipsum nunquam carnem humanam gustasse affirmat. Quod et credere et addubitare possis de Britannorum et Gallorum amicis novissimis. Alter socius et amicus Britannorum et Gallorum, quem pictura demonstrat, Senegalensis est, condignus commilito alterius.

Non est dubium, quin feri in bellis Europaeis contra ius gentium usurpentur. Utique ridiculum est, cum Britanni et Galli cum his sociis et amicis pro cultu<sup>6</sup> et<sup>6</sup> humanitate<sup>6</sup> se pugnare affirmant.



<sup>1</sup> akaratunk ellenére <sup>2</sup> harc képtelen <sup>3</sup> viszonzó  
<sup>4</sup> hivatalosan <sup>5</sup> hadbíró <sup>6</sup> kultúra.

neque suo ipsius ori regio quidem parcere-tur.<sup>12</sup> Tum sol esse voluit.

Et angelus coelo devenit dicens: «Voluntati tuae obtemperatum<sup>13</sup> esto!»

In solem itaque mutatus herbas frugesque comburebat summoque cum gaudio principum ora regumque. At nubes spissa<sup>14</sup> et atra radios non transmisit, verum fractos reiecit. Et irato animo, quod magis polleret<sup>15</sup> se ipso, nubes esse desideravit.

Et angelus petenti satisfacit.

Abiit igitur in nubem. Aestus<sup>11</sup> tunc avertere gaudebat largosque imbres in arva effundere. Sed frustra grandines<sup>16</sup> quoque saevissimae cadunt in durum saxum, quod minutatim<sup>17</sup> eas diffindens ne minimum quidem loco movebatur. Qua de re piguit<sup>18</sup> nubem imbecillitatis suae, tristisque conquirebatur sese non esse saxum tam firmum et constans,

Et angelus coelo devenit vertens illam in rupem durissimam.

Postquam densissimis imbribus grandinibusque perniciosissimis et tempestatibus atrocissimis aliquamdiu restitit, homo venit dolabram<sup>19</sup> ferens et scalprum<sup>20</sup> fabrile,<sup>20</sup> ac malleo<sup>21</sup> gravi lapides ex saxo excidere coepit. Tum vero indignans «quis — inquit — meo ex gremio<sup>22</sup> lapides effringere audet?» Et impense rogabat, ut esset homo tanti laboris tantaeque operae.

Et angelus coelo devenit dicens: «Fias, qui antea fuisti!»

Ergo factus est lapicida, et beatus posthac maximeque sua sorte contentus vivebat.

*Ios. Kolon (Neisse).*

<sup>12</sup> megkimél <sup>13</sup> engedelmeskedik <sup>14</sup> sűrű <sup>15</sup> tehet  
<sup>16</sup> jégeső <sup>17</sup> apróra <sup>18</sup> restel <sup>19</sup> ásó <sup>20</sup> véső szer-szám <sup>21</sup> kalapács <sup>22</sup> kebel,

### Huszarorum cantus.\*

Cum tu scholae dicis vale,  
Non consulis<sup>1</sup> tibi male:  
Militiae cum das nomen,  
Vitae tuae bonum omen.

Acri framea<sup>3</sup> praelectum,  
Sericea<sup>4</sup> zona cinctum;  
Calcaria<sup>5</sup> dum sonabunt,  
Cuncti tantum te spectabunt.

Equitabis cum ad castra,  
Elevaberis ad astra.  
Nomen tuum hic fulgebit,  
Gloriā aeternum erit.

Sonipedi<sup>2</sup> insidebis,  
Auro, argento splendebis;  
Huszarorum pulchrae vestes  
Fortitudinis sunt testes.

Qui iam cassidem<sup>6</sup> videbunt,  
Cristam<sup>7</sup> cuncti invidebunt;  
Elegantiam tum unā  
Mirabitur sol et luna.

Quotiescunque pugnabis,  
Tu de hoste triumphabis,  
Terrā mari gloriosus  
Miles fortis studiosus.

\* Hoc carmen, magis iocosum, quam serium sine nomine Vindobonā ad nos mittebatur. Quamquam minorum gentium poetarum opus esse videtur, tamen luce prohibere noluimus.

<sup>1</sup> gondoskodik <sup>2</sup> paripa <sup>3</sup> rojt, zsinór <sup>4</sup> selyem- <sup>5</sup> sarkantyú <sup>6</sup> sisak <sup>7</sup> taréj.

### Parvus excubitor Lombardus.

Ad narrationem E. de Amicis *Andreas Szabó*.

#### II.

Puer caput ad sinistram convertit: ex templo stridor<sup>1</sup> acutior, priore humilior aërem percussit. Parvulus contremuit. — Mehercle — exclamavit — me petere videntur. Glans missilis proxima praetervolavit.



— Descende! — exclamavit centurio imperiosus atque irritatus.

— Statim descendam<sup>2</sup>, respondit puer. Arbore defendor, hoc dubitare noli. De sinistra... scire velis...

— De sinistra... respondit centurio iratior, descende tamen!

— A sinistra — clamavit puer illuc conversus — ubi sacellum<sup>3</sup> est, videtur mihi...

Tertius stridor sibilus<sup>4</sup> audiebatur. Eodem momento puerulus aliquamdiu truncum ramosque corripens deorsum labitur, mox praeceps<sup>5</sup> brachiis apertis decedit.

— Res<sup>6</sup> mala!<sup>6</sup> exclamavit centurio accurrens.

Puer tergum humo impegit<sup>7</sup> et brachiis distentis supinus<sup>8</sup> mansit. E pectore sinistro

rivulus sanguinis defluere visus est. Decurio cum duobus militibus equo desilire, centurio ad puerum se<sup>9</sup> inclinare<sup>9</sup> eique vestem aperire. Glans in pulmonem<sup>10</sup> intravit.

— Mortuus est! exclamavit centurio.

— Non! vivit, respondit decurio.

— Ah, miselle puer! probe puer! — clamavit centurio. — Animosus<sup>11</sup> esto! Sed dum ei animum confirmat sudariumque<sup>12</sup> vulneri apprimat, puer oculos distorsit, caput demisit: exspiravit.

Centurio pallidus mortuum paulisper intuebatur, deinde placide in gramine collocavit; surrexit et diu eum spectabat. Decurio quoque et duo milites immobiles eum spectabant, ceteri ad hostes conversi steterunt.

— Miselle puer! repetebat centurio tristis. Oh puerum pauperem, probissimum! Tum ad casam accessit, vexillo tricolori de fenestra dempto<sup>13</sup> mortuum parvulum cooperuit,<sup>14</sup> facies inoperta mansit. Decurio soleas cum pileo, baculo, cultro ad latus mortui deposuit.

Momentum adhuc temporis taciti steterunt, postea centurio ad decurionem conversus: Arcerā<sup>15</sup> militari<sup>15</sup> eum asportari iubebimus, miles<sup>16</sup> enim mortem oppetivit,<sup>17</sup> a militibus sepelietur. — His dictis mortuo oscula iactans praeceptum<sup>18</sup> dedit: Con-

<sup>1</sup> süvítés <sup>2</sup> átzüg <sup>3</sup> kápolna <sup>4</sup> füttyülő <sup>5</sup> lefelé  
<sup>6</sup> átkozott dolog! <sup>7</sup> odaüt <sup>8</sup> hanyatt <sup>9</sup> hajlik <sup>10</sup> tüdő  
<sup>11</sup> bátor <sup>12</sup> zsebkendő <sup>13</sup> elvesz <sup>14</sup> betakar <sup>15</sup> katonai  
egészségügyi kocs <sup>16</sup> (mint) katona <sup>17</sup> fogad  
<sup>18</sup> vezényszó

scendite equos! et omnes in sellas<sup>19</sup> saliunt, turma viam pergit...

Paucis horis post mortuus parvus militari funere honoratus est. Sub occasum solis universae stationes<sup>20</sup> exercitus Italici in hostes movebantur et eadem viā, quam turma equitum carperat, nunc levis armaturae legio incedebat, quae ante paucos dies collem ad Sanctum Martinum multo sanguine rigaverat.<sup>21</sup> Nuntius pueri mortui inter milites pervulgabatur, antequam castra mota sunt.

Via rivulo praetexta<sup>22</sup> nonnullos passus a casa ferebat. Cum primi praefecti legionis cadaver parvum, in ima fraxino, vexillo tricolori coopertum viderent, gladiis salutabant; unus illorum inclinabatur<sup>9</sup> in ripam rivuli, quae florida<sup>23</sup> erat et duos flosculos<sup>24</sup> in puerulum iniecit. Tunc omnes milites praetereuntes multitudinem florum in eum spargebant, ita ut brevissimo tempore floribus cooperiretur. Omnes praefecti cum militibus, qui incedebant, salutationes miserunt: Vale, parvule Lombarde, atque ave! Placide quiescas, flavule!<sup>25</sup> Macte<sup>26</sup> virtute!<sup>26</sup> Oh te felicem, vale! Alius centurio crucem fortitudinis ei proiecit, alius frontem osculatus est. Et flores continenter in pedes nudos, in caput flavum, in pectus sanguineum cadebant.

At ille dormiebat in herba, vexillo involutus, facie pallida, quasi subridens, pauper puer, ac si has salutationes sentiret et beatus esset, quod vitam pro sua Lombardia profundere potuisset.

<sup>19</sup> nyereg <sup>20</sup> előrs <sup>21</sup> öntöz <sup>22</sup> szegélyez <sup>23</sup> virágos  
<sup>24</sup> virágocska <sup>25</sup> kis szőke <sup>26</sup> derék.




In Gallorum actis diurnis nuper legimus musea Parisina clausa esse, quia custodum numerus, iam antea diminutus, compluribus evocatis<sup>1</sup> novissime magis etiam

decreverit. Quae cum ita essent, multa artis<sup>2</sup> opera<sup>2</sup> nimiā cautione adhibitā Parisiis asportata sunt. In museo, cui nomen est Louvre, nullum artis opus relinquebatur, cum et nostra et sociorum musea integra manerent.

Curatores<sup>3</sup> rei publicae Italicae navigabilem fossam, viginti quattuor chiliometrorum longam, inter Lacum<sup>4</sup> Verbanum<sup>4</sup> et Montem Sempronium<sup>5</sup> depressuri<sup>6</sup> sunt. Aquarum cadentium magnitudo viginti milia equorum vires adaequabit, quae in usum operum<sup>7</sup> officinarum<sup>7</sup> conferentur. Sumptus [LXXVII]<sup>8</sup> litarum in fossam aedificandam consumenda erunt.

Sub finem mensis Septembris etiam in America multum loquebantur homines de bello Europaeo. Aliquis bellum diuturnum fore dixit. Quod cum puerulus quidam audisset, interrogavit: Num bellum ultra Sanctum<sup>9</sup> Natalem<sup>9</sup> mansurum est? — Manebit, erat responsum. — Oh pauperes liberos, exclamavit puerulus. Quis eis ornabit Sancto Natali arborem festam?

Cogitatio belli in parvulo nil nisi cogitationem parvulorum, in Europa forte egen-



tium<sup>10</sup> movit. Ephemeris una vel altera, mox ducentae de puerulo narrabant, quem sortis puerulorum Europaeorum miserebat; simul liberos Americanos invitabant, ut pro facultatibus collationem<sup>11</sup> facerent. Toti rei praeerat Scholarum Consociatio Ameri-

<sup>1</sup> behív <sup>2</sup> műemkek <sup>3</sup> kormány <sup>4</sup> Lago Maggiore  
<sup>5</sup> Simplon <sup>6</sup> épít <sup>7</sup> gyáripár <sup>8</sup> 7,700.000 <sup>9</sup> karácsony  
<sup>10</sup> nélkülöz <sup>11</sup> gyűjtés

cana, qua [CLXXX]<sup>12</sup> puerorum et puellarum comprehenduntur. Urbibus praefecti, collegia,<sup>13</sup> societates,<sup>13</sup> circuli<sup>13</sup> Foederatorum Civitatum operis socios se offerebant. Viarum ferratarum administratores dona collata gratis Novum<sup>14</sup> Eboracum<sup>14</sup> comportabant, praeses autem Civitatum Foederatarum permissionem dedit, ut navi longa, cui nomen est Iason, in Europam veherentur. Quinta pars rerum lusus sunt, reliqua sunt vestimenta. Prima statio navis erat Southampton, ubi dona liberis Britannicis et Belgis destinata, deinde Massiliae liberis Gallicis, tum Genuae exponebantur Hungaris, Germanis et Austriacis; quae denique Slavis erant missa, in portum Russiae, Archangelsch dirigebantur.

Parvuli Americani cum donis etiam litteras suavissimas miserunt amicis ignotis Hungaricis aliisque. Americanorum beneficia his diebus maestis praestita «manent alta mente reposita».

**Ante nonnullos annos**, cum de pace aeterna somniabamus, auctore Russorum imperatore Hagae Comitum templum pacis aedificatum est. Ad opus ingens perficiendum unusquisque populus aliquid contulit:<sup>15</sup> Itali opus marmoreum, Britanni imagines vitreas, Austriaci lampades aëneas, Galli peripetasmata,<sup>16</sup> quae de nomine inventoris ipsorum linguā gobelins appellantur, Hungari quattuor vasa faventina,<sup>17</sup> quae nuper confecta sunt. Ex<sup>18</sup> quo<sup>18</sup> artifices ad certationem<sup>19</sup> provocabantur, multa commutata sunt. Russorum imperator deposuit personam pacis mendacem, innumerabili autem trucidatorum numero luce clarius demonstratur, quid valeant somniantium vanae<sup>20</sup> species<sup>20</sup> pacis. Quae cum ita sint, his temporibus maestis ridendum foret, si illa vasa Hagae Comitum mittantur. Vasa pacis in museo quolibet nostro collocari dicuntur.

**Henricus Sienkiewicz** socius Academiae litterarum Russicae cooptatus<sup>21</sup> gratum animum significaturus, libellum in Germanos conscripsit. Libello, qui contumeliosis verbis plenus esse dicitur, cives suos ad bellum contra Germanos et nos instigaturus est. Idem ille Sienkiewicz initio belli apud

nos morabatur, tamen sine ulla noxa<sup>22</sup> dimissus est. Ceterum dubitamus Polonos eodem amore Russorum captos esse, quo Sienkiewiczium. Pro scutica,<sup>23</sup> pro Siberia, pro corporibus et animis civium servitute oppressis nimium gratus nobis Romanensium fabularum scriptor Polonus apparet, qui singulares<sup>24</sup> animi<sup>24</sup> notiones<sup>24</sup> de libertate habere videtur.


**Edmundus Szamovolszky** aetatis anno XXXVI. mortuus est. Sculptor eximius ante hos sex annos e certatione,<sup>19</sup> quae de statua Libertatis ponebatur, victoriam tulit. Exteriorum tunc gentium artifices clarissimi palmam ei adiudicaverunt. Laboris socius erat Stephanus Gách, qui nunc opus inceptum perfecturus esse traditur.

**Günther** et **Tiede** nosocomi<sup>25</sup> Germani a Gallis capti sunt, ubi iisdem ministeriis fungebantur. Nuperrime armarium<sup>26</sup> efrigisse et lintea<sup>27</sup> exprompsisse accusati subita necessitate se ad «crimen» committendum adactos fuisse declarabant, quia in mora<sup>28</sup> periculum fuisset. Quod quamquam testibus manifestis probabatur, tamen Germani in carcerem coniecti sunt. Oh turpe odium, oh iniuria, quid non humana pectora cogis!

<sup>12</sup> 18,000.000 <sup>13</sup> társadalmi egyesületek <sup>14</sup> New-York <sup>15</sup> hozzájárul <sup>16</sup> szőnyeg <sup>17</sup> fayence <sup>18</sup> mióta <sup>19</sup> pályázat <sup>20</sup> hiú álom <sup>21</sup> bevásárlt <sup>22</sup> bántódás <sup>23</sup> kancsuka <sup>24</sup> különös fogalom <sup>25</sup> betegápoló <sup>26</sup> szekrény <sup>27</sup> fehérnemű <sup>28</sup> késedelem.



**Viri docti** novissime multum de progressibus narrant, quos ars<sup>1</sup> medendi<sup>1</sup> fecisse affirmatur. Singula aegroti corporis membra eximuntur,<sup>2</sup> deinde examinantur, tum examinata et refecta in corpore sine incommodo aegroti reponuntur.



<sup>1</sup> orvosi tudomány <sup>2</sup> kivesz

Inter hos viros doctos familiarissimus mihi est medicus, qui huic rationi medendi iam multos annos operam dat. Nuper forte domi meae aderat, cum nepotem meum, adulescentulum septemdecim annos natum conspexit. Puer paulo tristiores aspectum praebebat: languidus,<sup>3</sup> ore pallido, morosus incedebat, neque tamen causam status<sup>4</sup> deterioris<sup>4</sup> afferre potuit.

Medicus ille celeberrimus permissionem rogavit, ut suā ratione statum discipuli inquirere<sup>5</sup> posset. Prehendit<sup>6</sup> igitur recusantem, deinde eum sopivit,<sup>7</sup> tum cerebrum scrutatus<sup>5</sup> est. Nobis rogantibus scripturā et imaginibus persequeretur, quae in cerebro expertus erat:



Puer misellus tantam copiam litterarum hauriebat, quantam cerebrum imbecillum «concoquere»<sup>8</sup> nequivit. Medicus ipse cerebro inspecto summa admiratione exclamavit. Ceterum hic sequuntur imagines cum descriptione, ab ipso tradita.

Indigesta<sup>9</sup> series scriptorum nostrorum aetatis antiquissimae cum minutissimis<sup>10</sup> opusculis atque annis editorum operum. — Tanta diligentia et cura apparebant singuli poetae alique scriptores, ut etiam imagines eorum in cerebro effictae esse viderentur.



Sequebantur Graeci et Romani confuse<sup>11</sup> permixti:<sup>11</sup> duces, scriptores, poetae, oratores alique viri docti.



Homerus cum Tacito, Socrates cum Cicerone, Sophocles cum Horatio, ceteri cum partibus operum selectis. Praeterea doctrina vitae antiquae cum artis Graecae et Romanae operibus!...


Accusativi cum infinitivis cum aoristis cum ablativis absolutis cum verborum anomalibus promiscue<sup>12</sup> choros<sup>13</sup> ducere<sup>13</sup> videbantur.

Quos haec pictura demonstrat, maximi


sunt poetae omnium gentium: minus clare apparet imago Dantis cum versuum milibus Divinae Comoediae. Quasi per nebulam adesse videtur poeta Britannorum clarissimus, quo se novissime indignissimos praestabant: Shakespeare, Coriolanus, Caesar, Rex Lear, Hamlet, Macbeth, aliorum umbrae tragediis Shakespearianis capita proferebant. Quid de Germanorum lumine maximo dicam? Goethe puero misero plurimum mali attulisse videtur, quippe qui in omnibus artis poeticae generibus immortalitate singulari floret. Oh discipulum miserandum, cui tot operum tituli ediscendi erant! Quamquam aliquid solatii puero allatum est, quod in hac societate ingenium Gallorum frustra requiras.



Dic mihi Musa... quae confusio<sup>14</sup> et<sup>14</sup> perturbatio<sup>14</sup> picturā demonstrat. Mathematica cum trigonometria, logarithmi cum percepto Pythagorae, geometria cum radicibus, numeris cubicis,<sup>15</sup> et — oh rem difficillimam! — apparet sinus cum cosinu et fratribus quattuor similibus, — ut omittam miracula, quae de rerum natura cerebro nimium<sup>16</sup> onerato<sup>16</sup> inerant. Etiam arcana<sup>17</sup> historiae naturalis in cerebro efficta ostendebantur, sed ob temporis breviter delinearum<sup>18</sup> non poterant, quamquam animalium multitudine vivarium<sup>19</sup> maximum, plantis campos, hortos et silvas, metallis montes compleveris.



Locorum et regum nomina temporibus miscuntur.<sup>20</sup> Ad memoriam rerum gestarum perventum est. Loca geographica pugnibus



<sup>3</sup> fáradt <sup>4</sup> rossz állapot  
<sup>5</sup> megvizsgál <sup>6</sup> megfog <sup>7</sup> el-  
altat <sup>8</sup> megemészt <sup>9</sup> rendezetlen <sup>10</sup> aprólékos <sup>11</sup> össze-  
sze-vissza zavarva <sup>12</sup> vegyesen <sup>13</sup> táncot jár <sup>14</sup> össze-  
szevisszaság <sup>15</sup> köb <sup>16</sup> túlterhelt <sup>17</sup> titok <sup>18</sup> lerajzol  
<sup>19</sup> állatkert <sup>20</sup> váltakozik

gnatis ac pacibus compositis variant. Medium locum obtinet globus, in quo terrae mariaque picta cernuntur. A sinistra lucent stellae cum sole, quorum motus, mundi ac terrarum magnitudo, rerum<sup>21</sup> natura<sup>21</sup> a iuvenibus cunctis, etiam cerebri imbecillioris ediscenda sunt.

Quod medico in cerebro nepotis mei conspicuum<sup>22</sup> erat, en videtis equites duos: alterum supra, alterum infra. Cogitationes<sup>23</sup> pueri ergo militiam tenentur:<sup>24</sup> his temporibus bellicosus miles esse cupit. Inde languidus, morosus, pallidus factus est. Post causam morbi inventam haud difficile erat etiam medicinam invenire. Cerebrum rationesolita purgatur, deinde in capite adulescentuli reponitur, ut in pictura videmus. Discipulus somno experrectus<sup>25</sup> novum cerebrum capiti inesse statim intellexit. Primum quidem sane perterritus est, cum cerebrum tot rebus doctis spoliatum animadvertisset; sed a medico edoctus singulas scholae disciplinas in<sup>26</sup> ordinem<sup>26</sup> digestos<sup>26</sup> esse comperit. Quod maximo eum gaudio affecit; plane quidem, cum medicus ei polliceretur<sup>27</sup> hac via facillime ad militiam aptum fieri.



Inde puer summis viribus scholae operam dedit. Cogitationes in ordinem semper digessit, progressus facit optimos et proxime iam nomen<sup>28</sup> daturus<sup>28</sup> est.



<sup>21</sup> a világ berendezése <sup>22</sup> feltűnő <sup>23</sup> gondolat <sup>24</sup> lefoglal  
<sup>25</sup> felébred <sup>26</sup> rendbe szed <sup>27</sup> megígér <sup>28</sup> katona lesz.

## AENIGMATA.


I.

Quattuor vocabula constant e quaternis litteris: animal, arbor, coniunctio negativa, locus, qui saepe pro «aula» dicitur. Haec vocabula aliud sub alio positum et dextrorsum et deorsum lecta eadem significabunt.

M. Wrónksi (Cracovia).

II.

I. Otoltics (Győr).



III.

Bi, ci, con, di, fa, men, mes, mum, op, ti, tum. Hae syllabae ita componantur, ut sententia fiat.

S. Fehér (Temesvár).


IV.

Significat vox mea avem, per lacum ultro citroque natantem; significat etiam filium Stheneli, Liguriae regem.

I. Oszterhüber (Losonc).

V.

L. Irsik.



## Solutiones aenigmatum numeri 1.

I. O  
A R A  
C R E T A  
O R E S T E S  
M A T E R  
V E R  
S

II. 1. Verona. 2. Sulmo.  
3. Ostia. 4. Mantua.  
5. Roma. 6. Misenum.

III. Inter arma silent Musae.

Aenigmata recte dissolverunt: B. Ahlwart Linz, F. Bella Pozsony, B. Cserny Debrecen, I. Dávid Kolozsvár, C. Eleméry Budapest, Z. Ernyey Budapest, T. Frank Budapest, L. Györy Sopron, L. Karleusa Brassó, P. Kollár Arad, R. Langer Berlin, F. Malinár Besztercebánya, G. Papp Szolnok, L. Rónay Budapest, B. Szabady Kolozsvár, I. Weiszhaus Budapest.

Praemium Bernhardo Ahlwart sorte obvenit. Laude affectus est Gabriel Papp, qui aenigmata accuratissime solvit.

Filii mei, nolite bellum praetextui sumere solutionibus neglectis; immo rogo vos, ut tot aenigmatum solutiones mittatis, quot solvere valetis. — De litteris proxime.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, I., Lógodi-utca 73., ad quem litterae quaecunq; mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiszkola.